



Q. R. B. V.

45
16

POSITIONUM JURIS FEUDALIS

Exercitatio Nona

1693 51

DE

REGALI-
BUS II.

Quam

PRÆSIDE

CASPARE HEINRICO HORNIO,

J. U. D. Pandectarum P. P. atq; Collegiorum

Juridicorum, quæ hic sunt, Adfessore,

D. Dec. M DC. XCIII.

In Auditorio Jctorum

publice defendet

GODOFREDUS SIGISMUNDUS ALBERT,

Freiberg. Misn.



VVITTEBERGÆ, Prelo Goderitschiano.

PORTIONEM LIBRI PRIMI

RE FERRE

RE FERRE

GASPARUS HENRICUS

G.D. Landeshauptmann P. d. P. Collegium

judicium per hunc adhibere

in hunc modum

in hunc modum

GOTTFRIEDUS HONORATUS

Fischer M. M.

WITTEBERG P. d. P. Collegium





7. N. D. N. 7.

Th. I.

Mulcta quid sit, quo modo à poena differat, & quis habuerit Rom. jure jus mulctandi? *ex Gell. lib. II. c. 1. & L. 151. D. de V. S. L. 2. 3. seq. C. de modo mulct.* intelligi potest: quæ omnia latè exponunt Dd. *ad d. L. & Sixt. de Reg. Lib. II. c. 8. II. F. 56.* mulctarum poenarumque compendia ad Regalia referuntur; quæ & jam olim à Principibus Romanis Fisco vindicabantur *L. quicumq; 8. §. 3. & in fine C. de Hæret. L. 5. C. de modo mulct.* ubi reperiuntur exceptiones. Hodie compendia hæc mulctarum ac poenarum fructus Jurisdictionis habentur, atque si ob delicta mulctæ vel poenæ inferantur, ad illum, qui Jurisdictionem habet altam, pertinent; ita tamen ut bassam Jurisdictionem habenti, & jus mulctandi, mulctamque retinendi suo modo competat, *Brunn. ad L. 5. C. de modo mulct. Carpzov. p. 4. C. 10. Def. 9.* Quæ res quomodo in Saxonia se habeat - vid. *ap. Carpz. P. Cr. q. 109. n. 61 seq.* Quando vero mulcta ob contumaciam irroganda; quemlibet Judicem, coram quo contumacia committitur, pro tuenda Jurisdictione decernere mulctam posse retinereq;, nulli dubitamus. *Brunn. d. l. & c.*

II. Nobilis vel alius Magistratus inferior merum Imperium habens, fustigationem vel relegationem sine consensu Principis in mulctam convertere non potest, ob rationes, quas habet *Dn. Ziegl. de I. M. lib. 1. c. 8. tb. 12.* In Electoratu Saxoniae tamen hodie hæc res aliter est decisa *Resol. Grav. de an. 1661. §. 59.* certo nempe modo, & certa ratione: scilicet ut causa probabilis adsit, quæ judicio Collegii Juridici submittenda, ut mulcta non sit modica, sed gravior (*ziemliche Geldt = Busse*) pro ratione tamen facultatum delinquentis, ut convertatur in pios usus, & ea conversio Consistoriis Ecclesiasticis significetur

A

ficitur

ficetur, ut denique delinquens terminos Jurisdictionis, ubi deliquit, excedat, ne presentia pariat scandalum. Quæ omnia non tantum eo casu, ubi fustigatio & relegatio perpetua, quæ illius in his terris semper est individua comes, decreta; sed etiam, ubi poena solius relegationis perpetuæ reo dicta est. Meminimus quidem hac de re fuisse dubitarum, putatumque, verba Resolutionum *Staupenschlag und ewige Landesverweisung* conjunctivè esse intelligenda; atque adeo dispositionem istam ad casum relegationis perpetuæ esse haud trahendam. Verum si nexum verborum inspiciamus, apparet facile hanc mentem Latoris non esse, sed disjunctivè intelligi debere textum. Conf. *L. 29. 53. ff. de V. S.* Quod præsertim ex verbis finalibus: *wenn aber einen delinquenten die zeitliche Landesverweisung allein zuerkant &c.* satis commodè colligi potest.

III. Bona vacantia sive eorum, qui heredem non habent, jure civili ad Fiscum pertinent. *L. fin. C. de bon. vacant.* Fridericus Imperator bona hæc *II. F. 56.* ad Regalia refert. Jure hocce Ordines Imperii, & inter hos Civitates Imperiales quoque gaudere, nullum est dubium. *Dn. Stryk. de Succ. ab intest. dissert. V. c. 1.* Equidem plerique Doctorum in eam sententiam abeunt, omnem merum imperium habentem habere etiam jus Fisci, & per consequens facultatem occupandi bona vacantia; quæ regula si solidis rationibus probari posset, res esset in vado. Sed quia istæ deficiunt, tutissimum est dicere, nullam civitatem municipalem, vel nullum alium, qui non est Status Imperii, licet merum imperium habeat, jure Fisci regulariter gaudere, nec sic bona vacantia occupare posse, nisi in quantum à Superiore tacitè vel expressè id est concessum. *Dn. Stryk. d. l. §. 11. seqq.* Id quod nec aliter intuitu Nobilium immediatorum se habere putamus. Nam licet & hi Regalia habeant, non habent tamen complexum omnium Regalium, sive territorialem Superioritatem. *Vitriar. III. 15. 11.* Hugo de *Statu Region. Germ. c. 5. n. 5.* Nisi ergo speciatim jus Fisci integrum, vel in specie jus occupandi bona vacantia ab Imperatore & Imperio expressè acceperint, vel tacitè per immemoriam præscriptionem acquisiverint: nostro judicio eo non poterunt uti. Quam quidam regulam formant: quod Principes in territoriis vi Superioritatis habent, hoc Nobiles in suo territorio vi privilegii habere, ex nume-

ro illarum est, quæ interdum locum habent, non semper. *Capit. Leop. art. 3. a. 5. 27. 7. 8. 27. I. P. O. c. 5. §. 2. 27.* Neque etiam ab immedietate ad Regalia, multominus ad territorialem Superioritatem argumentari licet: nam & dantur Pagi immediati, quibus tamen nemo Regalia, & quidem pleraq; multominus complexum illum seu sublime jus territorii tribuerit, licet & ipsi in quibusdam par habeant jus cum Statibus Imperii *a. 5. §. 2. I. P. O. R. I. 1564. §. 29* Plane in Saxonia à mero Imperio ad jus occupandi bona vacantia inferri licere, constans est omnium Doctorum Saxoniorum assertum, *lib. 1. art. 28. Lib. 2. art. 31. a. 59. ibi Gloss. Weichb. Fachsius Different. 35. Reinh. differ. 34. part. 1. Carpzov. p. 3. C. 38. def. 28.*

IV. Angariarum & Parangariarum nomen jure Justiniano quoque cognitum est. *tit. C. de Cursu publico, angariis & parangariis L. 12.* Quid autem distent Angariæ à Parangariis Græci *Lib. 56. βασιλικῶν* expediunt. *καὶ ἐστὶν ἀγγαρεία μὲν ἢ πἀραγγδοσ ἢ διὰ τῆσ δημοσίασ ὁδῶ τῆσ καὶ δρόμον ἐχθροσ, ὡσ τυχὸν ἐντεῦθεν ἐπὶ τῶρρη παραγγαρεία δὲ ἢ διὰ τῆσ ἐκ πλαγείασ ὁδῶ, ὡσ τυχὸν ἐντεῦθεν ἐπὶ ἡλιθπολιν.* Est igitur Angaria præstatio jumentorum & plaustrorum, & navium, qua cursus publicus dispositus est ad illum perficiendum: Parangaria vero alio versum. *Cujac. ad d. T. Cod. Quæ præstatio ad munera patrimonialia refertur. L. pen. pr. §. fin. D. de veteran. Conf. Myl. ab Ebreub. de Jur. Scat. L. 2. c. 72.*

V. Quænam cursus publici velocis & clabularii olim ratio fuerit, præ aliis eleganter tradit *Dn. Ziegl. de Jur. M. Lib. 2. c. 8.* Ex quibus fatis apparet, hodiernas Postas ab isto cursu publico in quam plurimis differre. Usu juris publici nostri jus Postarum duplex est: aliud generale & universale, aliud particulare. Illud ad reservata Imperatoris pertinet, *R. I. d. 1522. §. item ist bedacht 2c. 5. Vitriar. Lib. 3. tit. 2.* ibique notæ, à quo munus Generalis Magistri Postarum, das General Obriste Reichs Post Ampt dependet, quod Comitibus de Tassis tanquam Feudum est collatum. (De differentiis von den Kaiserlichen Hoffpost-Ampt/& litibus inter utrumque vid. *Cap. Leop. art. 35. Vitriar. d. l. Limn. Tom. 5. addit. lib. 2. c. 9. n. 133. Hörn. de Jure Post. cap. 6. Theor. 3.*) quamvis Dux Burgundiæ frustra jus aliquod in illud sibi arrogare voluerit. *Klock. de Collect. c. 2. num. 30.*

A 2

E quidem

Equidem personatus ille Hippolytus à Lapide p. 1. c. 16. Jus hoc Postarum universalium, quod per contemptum, male tamen, *quantulumcumq;* vocat, reservatis Imperatoris accensendum esse negat, atque in partes vocat §. und damit auch 45. R. 1. 1542. quo Ordinum quoque id esse asserti putat. Sed quis non videt omnia, quæ ex conventionem Imperatoris & Ordinum ibi habentur, ad causam peculiarem & rationem bellum Turcicum eo tempore gerendi pertinere, nihilque detrudere juri alias Imperator soli reservato. Neque etiam ferri potest, nostro judicio, celeberrimi Mevii Philosophia, qui moribus Germaniæ reservatum Cæsaris malè dici putat. p. 1. d. 102. quod & Ordinibus in territoriis competati Jus Postarum? Nam hæc illatio si admittenda: nihil fere Reservatorum remaneret Imperatori. Plerisque enim juribus istis, quæ Reservata dicuntur, utuntur intuitu territoriorum Ordines, aliquibus tamen excep. is. Conf. *Iter, de Grad. Acad. c. 6.* Sed quia tamen intuitu totius Imperii, Imperator Postas universales instituit sine concursu Ordinum Imperii, Jus Postarum reservatum adhuc manet Imperatoris.

VI. Particulares seu provinciales Postas quilibet Status Imperii in territorio suo constituere potest. *Reink. de R. S. & Eccles. lib. 1. cl. 5. c. 6. n. 137. Mev. p. 1. dec. 102.* Quod assertum, licet ex §. antea allegato 45. *Rec. Imp. d. anno 1542.* quem laudatus Mevius in partes trahit, vix probari possit: ex territoriali Superioritate tamen sponte sua fuit, usque in Rom. Imperio nulla reclamante lege probavit. *Fac. art. 35. Capit. Leop.* Quod si enim Imperatori in terris hereditariis Postas distinctas à Postis Imperii instituere licet; cur non & aliis Imperii Ordinibus id esset integrum? Hoc ipso jure Civitates Imperii uti posse, si territoriū, quod Postas exigeret, vel admitteret, haberent, nulli dubitamus. In dubium jus Postarum Ordinibus Imperii vocat *Lud. à Hörnick. de Regali Postarum,* cujus argumentis satisfecit *Emeranus Akelius tract. von Post Regal. c. 2.* Quod si autem extra territorium Postas Status Imperii instituere vellent Imperatoris sanè & illorum Ordinum, per quorū territoria cursus iste publicus dirigi debet, opus est consensu. *Vitriar. L. 3. c. 2. §. 52. Arnold. Klapmar. de Arcan. Imper. Lib. 3. c. 14. Achel. L. 3. c. 3.*

VII. La Posta è una spela da Principe, & un mestiere da facchino; rectè Itali dicunt: cum maximi sumptus, ut Postæ rectè constituan-

fruantur, necessarii sint, privatorum vires qui excedunt. Ob hanc publicæ utilitatis causam Principi utique licet, privatis veredariis modum statuere, præscribereque formam, ne Regali Postarum Juri fraus fiat, resque publica sentiat detrimentum. *Ziegl. de I. M. 2. 18. 27. Ackel von Post Regal. c. 6.*

VII. Ad quem metalla, sub cujus vocis generaliori significatione omnia continentur, quæ ex aurifodinis, argentifodinis, lapidicinis, & quibusvis mineris aliis eruuntur *t. t. C. de metall. L. 3. §. f. ff. de rebus eorum, qui sub tut. L. 8. §. 10. D. de pæn. Goedd. ad L. 17. D. de V. S. Alciat. lib. 1. π α π έ γ υ α ν c. 39.* jure Romano pertinuerint, eleganter ostendunt *B. D. Ziegl. de I. M. Lib. 2. c. 19. & Dn. Eisenb. de Regali metalli fodin. jure c. 2. & 22. seqq.* Summa hæc est: Fodinæ, ex quibus aurum, argentum, & alia metalla, lapides ac mineralia eruebantur, duplices erant, publicæ scilicet, & privatae. Illæ in loco publico vel Fiscali vel Cæsaris exercebantur, atque pleno jure cum omnibus emolumentis ad Principem pertinebant. Fit mentio harum in *L. 15. D. de Publican.* in quo loco vocabuli Cæsar, Censor legendum esse, *Gvill. Fornerius lib. 2. select. c. 25. notar. it. in. L. 6. D. ad Leg. Jul. pecul. & L. 38. ff. de Pæn.* ubi metallorum, hoc est, fodinarum Cæsareanorum & Principis fit mentio. *Conf. Plin. lib. 35. c. 4. & Polyb. Lib. 6. histor.* Privatae in fundis privatorum à dominis fundorum exercebantur, ad quos venæ metallicæ, ceu fundi partes, non minus ac reliquæ res, quæ in fundis nascuntur, aut existunt, pertinebant. *L. 17. §. 14. D. soluto matrim. L. 11. §. 5. D. de usufr. L. 9. §. 3. ff. eod. L. 3. §. fin. 4. & 5. ff. de rebus eorum qui argr L. 44. ff. de Rei Vind. Tac. VI. Ann. 19.* Atque huc pertinet vulgatum istud *Dd. naturali rationi conveniens assertum: quicquid sub fundo meo est in imis terræ cavernis ad ultimum usque centrum, meum est, perinde ut aër supra fundum ad coelum usque.* *Cujac. Lib. 15. Obs. 21. Choppin. de Doman. lib. 1. c. f. Struv. S. I. F. VI. 26.* Vindicarunt tamen sibi Romani Principes jamdiu aliquod jus circa privatorum metalli fodinas, atque ideo non tantum in censum referrebantur, ut aliæ possessiones, *L. 4. D. de Censu.* verùm etiam certum vectigal metallarium vel canonem pendere debebant possessores *L. 17. & L. fin. §. 11. D. de public. & vectig. L. 17. D. de V. S. T. C. de metallariis & metallis.* Solet in hanc sententiam a quibusdam citari locus

Svetonii in Tiberio c. 49. quo Imperatorem hunc plurimis civitatibus
& privatis veteres immunitates, & jus metallorum ac vectigalium ad-
misse dicitur. Sed ipse Tranquillus hoc non ad jus refert, sed ad ra-
pinas, ad quas eo tempore Principem animum convertisse scribit.
Quicquid hujus sit, illud certum est, ex Jure eo, quod Principes sibi
vindicarunt, hoc fluxisse; quod licet olim domino invito in alieno
fundo nec privato nec publico nomine lapides, & ob eandem ratio-
nem metalla cedere aut effodere licuerit, nisi consuetudo præstito
solatio id admiserit, quo tamen casu ita demum id licitum fuit, ne usus
necessarius rei intercludatur, nec commoditas domino adimatur. L.
13. §. 1. D. commun. præd. utilitatis tamen publicæ causa postea per-
missum fuit, ut, si ipse dominus fundi metalla vel marmora quarere
nollet, cuilibet alii facultas hæc data, ut effodere possit domino in-
vito, modò ædium fundamenta non labefactet, & tam domino fun-
di, quàm Fisco canonem solvat, huicque, quod reliquum erat, justo
pretio redimendum offerat. L. 1. L. 3. 6. C. de metallaris. Conf. Capoll. de
Servit. prædior. rust. c. 21. n. 4. Gvidius Volaterr. Ictus Tr. de Mineral.
L. 1. 71 n. 1. Rei huic metallicæ præpositi fuere Comites metallorum.
l. 1. 4. C. de Metall. quibus suberant Procuratores metallorum, de quo-
rum officiis doctè agit Paneirollus in Not. Imp. Orient. c. 47. 74. p. 119.
& Occident. c. 35. id de Magistrat. Municip. c. 16. seqq. Jacob. Godofr. l. 3.
C. Th. de Metall.

IX. Sub Imperatoribus & Regibus Francicis (nam Caroli M.
diploma Comitibus à Gleichen datum, quod vulgo ex Goldasto huc
trahitur, non abs re falsitatis arguit Clar. Meibom. de Orig. Fod. Harzie
tb. 41.) metalli fodinas ad Regale dominiũ tantum pertinuisse ex charta
divisionis Ludovici Pii à Steph. Baluzio in Capit. Regum. Francorum.
c. 12. p. 577. c. dita. it. ex Capit. Caroli. M. Tom. 1. p. 332. non improbabili-
ter colligit Dn. Eisenh. d. l. c. 2. tb. 31. it. D. Meibom. dissert. de Me-
talli fodinis Harzicis tb. 42. Sed & Germanici Reges, tum in Germa-
nia ipsa, tum in Italia hocce jus sibi vindicabant, quod neglectum
cum aliis ab Antecessoribus Fridericus I. II. F. 56. postlimino restituit:
qua Constitutione sub voce *argentaria* omnes metalli fodinas intel-
ligi, constans est Doctorum opinio. Illam sententiam maxi-
mopere firmant monumenta, quæ ex Frid. I. Heinrici VI. Philippi,
Ottonis

Ottonis IV. & Friderici II. ævo adferunt Celeberrimi viri D. Meibom. d. l. & Dn. Eisenb. d. l. c. 2. §. 26. seqq. Quibus haud immerito jungendum est Diploma Ludovici Bavari, quo Castrucius de Antimellis (de cujus origine Machiavellum quam plurima falsa narrasse, hoc monumentum docet) Dux Lucensis creatus; in quo post erectionem Ducatus Imperator auri & argenti & metallorum omnium questum (sunt verba Imperatoris) nunc nobis & Imperio pertinente in concedit. Exhibet illud Diploma Dn. Meibom. in historia erectionis Ducatus Brunsvicensis, novissime quoque Dn. Leibnitius C. Juris gent. p. 1. n. 65. Marq. Freh. Tom. 1. Rerum German. in append. p. 31. Huc pertinent porro Diplomata ejusdem Ludovici Bavari Ruthenis data anno 1323. 1327. 1329. quæ exhibet Bekler. in Stemmate Rutheno p. 269. 275. 285. Caroli IV. Burggraviis Norimb. datum. Gold. I. C. Imp. p. 371. Rarò tamen Imperatores & Reges Germaniæ in provinciis, quas aliis in feudum concesserant, suis impensis exercebant fodinas, sed vel tacitè vel expressè horum dispositioni relingebant, canone saltem sibi reservato, qui tamen & ipse interdum pro parte, vel in totum ad dominos territoriorum transit: quod ex monumentis supra allatis satis apparet. In A. B. Caroli IV. Regi Bohemiæ omnibusque reliquis Electoribus hoc jus circa fodinas metalli omnis generis plenissimum confirmatum, vel datum fuit. Imo successu temporis vel peculiari concessione, vel investitura, vel per immemoriam præscriptionem omnes omnino Ordines Imperii, in quorum territoriis metalla reperiuntur, jus illud cum emolumento omni acquisivere, ita ut hodie Imperatori, quæ tali, nulli amplius ex metallifodinis supersint provenius. Quid? quod plerique recentiorum I. P. Doctorum in ea sunt opinione, hodie vi Superioritatis territorialis metalla ad Ordines Imperii pertinere, licet alius specialis titulus haud adsit. Myl. ab Ebreub. de I. Stat. Imp. p. 11. C. 69. Vitriar. lib. 3. tit. 18. §. 29. C. d. Eisenb. C. 2. §. 62. 63. Quod uti nos suo loco relinquimus, ita certi sumus, assertum hoc ex §. weiter so sehen 2c. 48. R. I. d. 1551. quem in partes vocant, probari non posse. Quidam id tantum ad Duces & Principes restringant, Comitibus vero & Baronibus denegant. Simon Pistoris Consil. 4. n. 7. post consilia Modestini Pistoris Vol. 2. Zobel. §. N. 1. 35. quamvis de mediatis saltem loqui videantur. Imperatorem Albertum I. Wenceslao

Ino Regi Bohemiae de decimis metallicis quaestionem movisse, *Du-
bravius L. 18. R. Boem. anno 1302. p. 174.* narrat. Jam ante tamen Ottoca-
rum fodinas auri argentique cum omni commodo & proventu in
Feudum aliis dedisse, ostendunt literae investiturae Heinrico Ruthen-
datae 1272. quas exhibet *Beckler. d.l. p. 262.* Ut ne illa ipsa quaestio
ulterius moveretur Bohemiae Regibus, videtur voluisse Imperatorem
Carolus IV. tit. 9. A. B. impedire.

X. In Diplomate erectionis Ducatus Brunsvicensis & Inve-
stiturae Frider. II. Ottoni dato, fit mentio *decimarum Goslarie* Im-
perio pertinentium ante, & concessarum Ottoni. Intelligunt plerique
hic decimas fructuum agrorum, de quibus actum est *Ex. 7. tb. 6. It-
ter. de F. 1. cap. 6.* Sed egregie ostenditur in Celeberrimii Meibomi
Dissert. de Metall. Harticis tb. 54. decimas metallicas ibi datas
esse. *C. Th. Schreiber de Orig. dict. Fod. c. 4. p. 30. C. dista Ex. 7. Tb. 6. cir-
ca finem.*

XI. Ottonem I. in Saxonia argentifodinas aperuisse, certum
est; quod ex variis veterum monumentis eleganter probat *D. Mei-
bom. d.l.* Sunt qui etiam in Misnia Ottonem illum argenti fodinas
exercuisse tradunt, quod faciunt *Wolfgangus Crausius, Valent. Mon-
cerus, & Brotius*: imo locum designant *Siebenlehn* ubi hodie op-
pidulum hujus nominis non procul à Freiberga situm est, in quo
primas Misniae argenti fodinas fuisse volunt. Ut fidem huic asser-
to faciant, locum *Ditmari* Episcopi Martisburgensis *lib. 2.* quo tem-
poribus Ottonis I. inquit, *aureum illuxit seculum, & apud nos primum
inventum est vena argenti,* allegant, atque cum Chronicon suum in Misnia
scripserit, verba ista APUD NOS, de Misnia intelligunt. Sed quia Ditma-
rus ille ex Familia Saxonica Comitum Walbeckensium ortus, ver-
ba APUD NOS etiam de patria, Saxonia scilicet accipi possunt;
atque adeo certi quid inde colligi nequit. Porro in partes vocant Chro-
nicon vetustum Magdeburgense libro *Weichbildi* praemissum, cujus
autor de Ottone primo, inter alia haec habet: *Er fand auch das
Silber. Erz in dem Lande zu Meissen.* Ast cum nec locum deter-
minet, nec idoneos habeat testes, incerto huic auctori, qui circa æ-
vum Rudolphi I. vixit demum, & fabulis interdum ludit, parum fidei
tribui potest. Eo in loco, quem *Siebenlehn* diximus, antiquitus, &
for-

& forte etiam ante originem Freibergensium fodinarum, metalla fuisse effossa, non vanæ superiunt conjecturæ. Utrum verò id jam tempore Ottonis factum fuerit, itidem adhuc est in ancipiti constitutum.

XII. Tempore Friderici I. Imperatoris & Ottonis Divitis Marchionis Misniæ Freibergenses fodinas originem cepisse melioribus & gravioribus monumentis constat. In his fodinis Ottonem successoresque ejus omne regale jus plenissimè semper exercuisse, decimasque sibi solis vindicasse, nulla relicta Imperatori parte, annales testantur. Quod quo titulo, an expressa Imperatoris concessione, an tacita saltem ob conditionem temporum illorum turbulentissimorum factum sit? nec legisse meminimus, nec ex aliis, tum historiæ patriæ, tum rei metallicæ peritis audire, discereque licuit. Sane in Annalibus, atque apud *Fabricium, Albinum, & Mollerum* rerum Freibergensium scriptorem solertissimum altum ista de re est silentium. De Friderico II. *Fabricius* in Annalibus Urbis Misniæ ad annum 1230. scribit, Henricum Præsulem ab isto Imperatore Jus in metalla, quæcunque in fundo Ecclesiastico foderentur, diplomate ad Portum Naonis in Carnia scripto, obtinuisse. Idem *Fabricius* ad annum 33. ejusdem seculi commemorat, eundem Fridericum II. quicquid auræ argentive vel cujusvis metalli aut è terris foderetur, aut in aquarum decursibus reperiretur, dicasse templo Misnensi. Bene nobiscum egisset *Fabricius*, si Diplomata ipsa inseruisset, ex quibus, num posterius tantum confirmatio prioris privilegii sit, utrum verò ulterius quid contineat, melius perspici potuisset. *Albinus* in Chronico Metallico Misnensi *T. II.* hanc concessionem ad annum 1232. refert, atque ad terras Episcopatus Misnensi subjectas tantum restringit. Sed hæc fraudi non esse potuere Principum juri, quod in Marchionatu Misniæ jam ante habebant acquisitum. A. M. CC. LXXV. ab Henrico illustri Episcopo Misnensem Wittigonem I. ob decimas Scharffenbergenses ad Imperatorem Rudolphum in jus vocatum esse apud *Fabricium in Annal. Urb. Misniæ, Albinum B. C. T. 2. p. 17. & Moller. T. C. Freiberg. P. 1. S. 4. c. 1. p. 428.* legitur: quam compositam à Wenceslavo Rege Bohemiæ dicit *Albinus*; non addit verò qua ratione. Enimverò Henricum VI, Adolphum, & Albertum I. Imp. inhiasse fodinis

B

Frei-

Freibergensibus, ex illis, quæ Diterici Exulis, Alberti Degeneris, Friderici Admorli & Dicemanni Marchionum, Misniæ ævo gesta, satis liquet. Verum hos, vel alios Imperatores jure ad se pertinere has à Marchionibus occupatas fodinas, vel decimas saltem, unquam asseruisse, nullibi, quantum nobis constat, traditum est literarum monumentis. Sane quoad titulum istum primævum agnoscere oportet defectum Historiæ, quem illi fortè supplere poterunt, quibus ad Archiva Principalia aditus patet. In partes vulgo vocari solet *Simonis Pistoris Conf. IV. post Vol. II. Mod. Pist. Conf.* Sed de prima origine Juris Marchionum Misniæ in metallifodinas nihil ibi habetur: multa in eo quoq; leguntur, quæ forte rigorem examinis ferre non possunt. Plane Marchiones Misniæ de Metallifodinis sub initio sec. XIV. alios jam investivisse ex Diplomate Friderici Gravis Ruthenis dato 1328. patet, quod habet *Beckler Stem. Ruthen. p. 277.*

XIII. Non possumus præterire hocce loco textum Juris Saxonici. *L. 1. a. 35.* Alle Schätze unter der Erden begraben / tieffer denn ein Pflug gehet / gehören zu der Königl. Gewalt. Silber mag auch kein Mann brechen auf eines andern Mannes Guth / ohne des willen / des die statt ist. Gibt er ihn aber Urlaub dazu / die Voigtey bleibet doch sein darüber. De quo, præsertim prima ejus parte inter *Dd. Saxonicos* disceptatum olim, valdè, prout videre est in *Gloss. add. l. Zobel differ. 42. p. 2. p. 365. Aut. Consult. Saxon. L. 1. qv. 156. 157.* ita, ut tandem opus fuerit decisione authentica D. Augusti Sax. Electoris, tanquam summi Interpretis, Custodis, & Vindicis Saxonici Juris. Hic *C. 53. P. 2.* illorum probavit sententiam, qui partem priorem non de thesauris, sed de venis & metallis, de quibus & posterior pars agit, accepere. In qua meritò acquiescimus. Vellicat hanc interpretationem Celeberrimus Vir *Dn. Schilter. Ex. 45. §. 27.* et quidem duas ob causas; tum quod vulgatum id, reprobatum tamen hodie à plerisque recentioribus Jctis dogma: Jus civile non corrigi per jus Saxonicum; & hoc ita esse explicandum, ne correctio quædam inde surgat, contineat: tum quod textus de defossis loquatur, non de sub terrâ natis. Quod ad primum attinet, fatemur, nec nobis illam placere interpretationis rationem. Quoad alterum vero nullo modo possumus facere cum laudato autore: cum nec in latino textu, nec in vetustioribus Codicibus

dicibus vox: begraben reperiatur. Qui in Bibliotheca nostra publica reperitur; ita habet: *Allerhande Schatez unter der Erden tieffer danne eyn Vflug gehit/der gehort czu der Konniglichen Gewalt. &c.* Quia verò in Editione Zobeliana Germanici textus, aliisque Codicibus vox ista legitur: vel dicendum erit, irrepsisse istam falsò, vel in sensu laxiori accipiendam esse, ut omne id sc. quod in terræ visceribus continetur, & ibi quasi sepultum jacet, significet. Forte & idem esse potest, ac ausgegraben; quod fermè Speculum Svevicum indicare videtur, in quo textus iste totidem ferè verbis reperitur in Edit. *Goldasti & Huphuffiana c. 218. & Meischneri fol. 48.* nisi quod verba initialia ita habeant: *Wer Schatz unter die Erde begräbet/ tieffer &c.* ubi vox begraben idem puto esse, ac ausgraben, effodere. De metallis nempe, non de thesauro esse articulum hunc intelligendum, inde patet; quia dispositio alia plane de thesauro habetur, *art. 388. ap. Gold. & ap. Meichsner. fol. 85.* quam & in Codice Ambrasiano, & Dn. Schilteri extra re ipse testis est, licet in his duobus prior textus desit. Hoc posito, ineptum esset vocem begraben pro defossione metallorum accipere. Ut taceam, si maxime de thesauro locus hic accipiendus: non tamen de defossione, sed effossione potius esse textum explicandum: cum solâ defossione nullus fiat thesaurus. Quanquam autem metalla ad Jus Regium seu Regalia referantur J. Saxon. & Svevico d. l. requiritur tamen & iisdem juribus, ut dominus fundi simul consentiat. Sed fatetur Glossa, Doctoresque omnes, hoc jam diu in usu esse defuisse. *Reinh. d. l. ap. Zobel. vid. infra. Th. XIX.*

XIV. Acerrime inter se digladiantur juris Interpretes: utrum ipsæ metalli fodinæ, aut metalla in privatorum fundis reperta ad Regalia referenda: an verò saltem jus exigendi decimas. Posterius defendit *Rosentb. de Feud. c. 5. concl. 88. n. 7. Vultej. I. F. 5. n. 7. Sixtin. de Reg. l. 2. c. 16. n. 15. Rumel. ad A. B. c. 9.* aliique quam plurimi relati à *Myl. ad Rum. p. 3. d. 3. th. 17. & d. Eisenharrt c. 2. Th. 21.* Prius verò defendunt *Coler. dec. 98. Heig. 1. q. 13. n. 19. Schulz. Syn. J. F. c. 7. num. 177. Carpz. p. 2. C. 53. d. 1. Struv. 6. aph. 26. Dn. à Seckend p. 3 c. 3. n. 3.* Sed si æqua lance rem æstimes, facile judicare licet, omnem istam litem inde ortam esse, quod Jus Justinianicum à Jure in Germaniâ recepto haud exactè distinxerint Interpretes nostri; atque illi sententia

tia, qua de Th. præcedenti differuimus, indullerint, nimium, quasi jus patrium ex jure Romano, & ita quidem explicandum sit, ut huic vel plane non, vel quam minimum contrarietur: quam uti alii ex recentioribus, ita intuitu Juris Metallici doctè confutat *D. Eisenb. c. 11. §. 32.* Etenim si de Jure Civili quæstio sit, utique fateendum, fodinas in loco publico repertas quidem ad Regalia seu jura Fisci pertinere; in illis verò, quæ in privatorum fundis reperiuntur, non illas, sed jus exigendi canonem illuc referri. Si vero textum Juris Feudalis, Sævici & Saxonici, moresque Germaniæ antiquos præsentisque intuearis, nullum dubium est, ipsa metalla, metallique fodinas ad Regalia pertinere, semper, nullique, ne in suo fundo quidem sine legitima petitione & concessione immediata vel mediata (*Muthung und Verleihung*) illius, qui Regali hocce jure gaudet, vel saltem tacita, præscriptione scilicet legitima, metalla scrutari licere: id quod Ordinationes metallicæ passim abundè testantur. *V. Per. Ill. Dom. à Schanb. BergInformation Verb. Muther. Spans Berg Urthel B. T. II. Dn. Eisenbard. de Metall. Reg. c. 2. tb. 25. 32. C. Tb. XIX. infra.*

XV. Multi Doctorum Saxonorum tradunt, in terris Electorum & Ducum Saxoniae usu receptum esse, ut si quis de Feudo cum Jurisdictione superiore & inferiore investitus, (addunt alii omnibus utilitatibus) & in isto Feudo metalla viliora, ut cuprum, stannum, plumbum, aut ferrum &c. inveniantur, ad Vasallos illa pertinere; atque si hæc viliora metalla cum nobilioribus conjuncta sint, interesse, num aurum & argentum superent, (an quantitate, an pretio, pondere, vel valore? aut nihil addunt, aut obscure loquuntur) viliora metalla: num hæc illa? Priori casu metalla ad illum, qui Regalia habet; posteriori vero ad investitum spectare volunt. *Arum. ad A. B. c. 9. disced. 5. tb. 5. Wesenb. Tom. I. Conf. 45. Tom. 2. conf. 60. tom. 1. Concl. 109. Tom. 4. Conf. 198. Reinh. ap. Zobel. Different. Juris civilis & Sax. pag. 2. differ. 42. Heig. qu. 13. n. 42. Knichen. de privileg. Sax. num. vocandi rubr. ducum c. 5. n. 111. Imo Rauchb. quæst. 72. P. I. fodinas ferrarias quemlibet privatum absque decimarum onere, & sine investitura posse in fundo suo secundum consuetudinem instituere, idque consilio Aulico Electorali placuisse tradiri; quod probat *Carpz. P. 2. C. 53 d. 2. n. 8.* Sed aut errasse hos Auctores, aut alià iterum consuetudine*

dine contraria priorem abolitam esse, notoria praxis in his terris abunde testatur: atque ita non semel in Scabinatu Freibergensi metallico responsum esse meminimus. In ordinatione nova metallica, quam jussu D. Johannis Georgii II. Per-Illustris juris, & universæ rei metallurgicæ peritissimus Dn. *Abrahamus à Schonbergk*, Potentissimi Electoris Saxonici Præfectus metallicæ rei Supremus conscripsit, quamve D. Johannes Georgius III. in Comitibus Univerſalibus 1687. Statibus Provincialibus, ut monerent ea, qua decet submissione, quæ interesse sua & publicæ rei putarent, clementissime communicavit. *p. 2. art. 2.* hæc verba, postquam antea de prohibita scrutatione metallorum sine impetratione concessionis actum, habentur: Welche auf ihren eigenthumblichen Güthern von uns mit den Bergwercks Regal specialiter beliehen / die sind / so fern sie solcher special Concession per actus contrarios nicht renuncirt / oder remittiret / von muthen / wie auch den bestâtigen / und Quatember Geld billig befreyet / und mögen ihre eigene Bergkmeister halten / und andern das Feld verleihen. Quæ nemo ex Ordinibus, licet aliàs varia monita exhiberentur, in dubium vocavit: manifesto indicio, his terris haberi pro concessio, nemini, sine speciali concessione, (ubi tacitam quidem per præscriptionem sc. non excludendam esse, ratio postulat) metalli fodinas exercere, nec viliora metalla effodere licere. *Conf. Span Bergk Urthel Buch / T. 2. §. 2.* Imo nec scorias ferri derelictas sine speciali concessione posse occupari, ex sequenti Freibergensium Responso apparet. P. P. Sprechen wir Burgern. und Rathmanne der Churfl. S. Bergstadt Freyberg vor Berg Recht / daß aus denen Acten allenthalben so viel scheint: Obwohl die Kappelte Gebrüdere in ihrer unterthänigen Supplication de dato den 12. Novembr. an. 1619. vorschützen / daß sie neben dem Hammerwercke auch den Kinderhauffen theuer gnug erkaufft und solches mit einen Extract aus ihren Kauffbrieffe bescheinen wollen; dieweil aber dennoch kein Eisen in den Eisenhammer die Fichte genant / vermöge der bey den Acten befindl. Beylage No. I. in 30. Jahren nicht gemacht / das Pochwerk auch in 8. Jahren nicht bauhauffig gehalten / noch in den Kinderhauffen etwas jährl. gearbeitet / und inhalts des 73. art. Churfl. S. Berg Ordnung vorgeführet / vielweniger den Berg Amte der Pachtzinnß an statt des recesses jährl. verrichtet worden / daß auch Bergüblichen

üblichen Gebrauch und angezogener Churf. Berg Ordnung nach/
bey solcher Beschaffenheit obberührter Sinderhauffen bey dem
Hammer Guthe nicht verblieben / sondern in unfers gnädigsten
Churfürsten und Herrn freyes Gefallen ist. Von Berg Rechts-
wegen/ den 9. May. an. 1620. ad D. Präf. rei metall. supremum.

XVI. Interim illud non negandum est, quod si Vasallus de mi-
noribus metallis investitus sit, atque nobiliora metalla istis admixta
reperiantur, differentiam istam usu servari: utrum argentum vel au-
rum, cuprum, stannum vel plumbum &c. superet, an viceversa? ita
nempe, ut casu posteriori investitus retineat venam cum omnibus
juribus; priori vero Domini Territorii Regalia habentis jus potius
sit, illique vena cum omni jure relinquatur. Quibus casibus tamen
non ad pondus metallorum, sed ad valorem s. pretium respiciendum
est. (die Mehrung und Grösserung des Erzts ist nicht nach der Wa-
gen/ sondern nach der Aechtbarkeit und Würderung des Erzts zu
schätzen.) Quam rem egregie declarat Responsum Freibergensium
apud *Spanium T. 12. §. 2. n. 479.* Atque hoc seduxit fortè Dd. rerum
metallicarum parum peritos, ut in istam, quam indicavimus, inci-
derent opinionem. Plane hoc *Rauchbario & Carpzovio P. 2. C. 53. d. 3.*
facile largimur lapidicinas (sc. viliores, ubi pretiosiores lapides non
effodiuntur *Heig. p. 1. q. 13. n. 17.*) ac fodinas calcis metallorum jure
non censeri, sicque à dominis fundi liberè exerceri posse; & sine præ-
statione decimarum. De Carbonibus fossilibus (Stein Kohl) dubi-
tatum fuisse meminimus; sed obtinuit, ut idem, ac in lapidibus, ratio-
ne horum observaretur: quod Responsa Freibergensium passim te-
stantur. *Span Berg U. B. II. 2. 28. 29. 30. Conf. Knich. de priv. Saxon.*
verb. Ducum c. 5. n. 116. Peregr. de J. F. L. 4. n. 11. Wehn. Conf. 88. Pe-
tiere tamen Ordines harum terrarum in Com. 1687., ut autoritate Se-
reniss. Principis El. dubium illud è medio tolleretur. Cæterum & Jctos
Duales Saxonicos non probare illam sententiam, quæ merum Imperi-
um habentibus viliora metalla addicit, ex Responso Dominorum Jenen-
sium de venis cupri agente, abundè apparet, quod exhibet *D. Richt.*
Conf. 283.

XVII. Regale Jus metaliorum in sua plenitudine consistit in po-
testate aut propria impensa institucndi metallifodinas, aut exercitium
hujus

huius rei aliis concedendi. 2.) potestate constituendi præfectos maiores, minoresque rei metallicæ. 3.) potestate condendi leges vel ordinationes metallurgicas, 4.) jure exigendi recognitionem trimestrem, & præter hanc canonem, qui regulariter decima, modo vicesima, modo alia pars esse solet, quorsum 5.) referendum est jus *ωροπερξιας* metallorum, de quo alibi ex instituto dicturi sumus. &c. Omnia hæc latius exequitur Consultiss. *Dn. Eisenh. in d. l. c. 2. tb. 38. 41. 44. Conf. Ex. II. X. tb. 35.*

XVIII. Ordines Imperii qui auri argentique fodinas exercent, in re monetaria, si jure isto gaudent, variam habent præ aliis prærogativam, tum ex natura rei, tum etiam ex lege. Namque cum in territoriis illorum materia ipsa reperiatur, privati que metalli fodinas colentes aurum argentumque Dominis territorii offerre debeant: feliciori successu monetam cudere possunt, ac alii quibus aliunde materia comparanda *R. I. de an. 1524. §. 21. 1551. §. 36. Conf. die Ursachen des Leipz. Münz Recess. 1690. ap. Thom. à Hagelstein Act. publ. men. p. 2. pag. 370.* Deinde cum juxta Constitutiones in quovis Circulo certæ officinæ monetariæ (*Münzstädte*) constitui debeant, in quibus omnes jure monetandi in eo Circulo gaudentes abolitis omnibus reliquis, (*Hecken Mungen*) monetam cudere sint obstricti: hæc obligatio, quæ quidem ratione locorum variis litibus in quolibet fere Circulo adhuc est exposita, ad illos non adeo abscisse pertinet, in quorum terris metalla effodiuntur; quippe quibus ratione horum metallorum proprias monetarum officinas habere licet, *R. I. 1570. §. 135. Rec. Deput. Spirensi 1570. §. 27. R. I. 1571. §. 21. Aliud peculiare privilegium extat R. I. d. 1551. §. 48.*

XIX. Cum publice intersit metalla è visceribus terræ erui, eodem modo hodie, quo jure Romano cuilibet permissum est, in alieno quoque fundo quærere metalla, nec à domino potest prohiberi: ita tamen, ut secundum mores receptos excipiatur: *Die besaamten Mecker/ ingleichen Zisch/ Bett und Feuerstett*: Imodo non ex æmulatione aut vexæ causa id fiat, quo facto quærrens impune id ferre non debet: sicuti & fossæ, si nulla vena detecta, terra à quæsitore iterum impleri debet. *Per- Ill. Dn. à Schönberg Berg Inform. voce Schürffen.* Quia verò ita Domini fundi conditio valde dura efficitur, solatii loco, pari ratione ac olim decima *L. 3. C. de metall.* portio hæreditaria (*Erbfluckus*) illi assignatur; quæ fundo sicut, onus illud, perpetuò adhæret, nec unquam ab

eo separari potest. Cujus portionis quænam in his terris ratio sit, docet *art. 72. O. Met.* ubi exceptio, quoad cuniculorum actores (die *Söllner*) habetur. *Dn. & Schonb. Berg Inform.* voce: *Grundherr c. 2. §. 39. 40.* Porro & Jus Protimiseos domino competit ratione *der Erzhöll führen. Berg Inform. sub hac voce.* In Bohemia domino fundi præter 2. l. 4. partes hereditarias prout np. ligna suppeditare potest vel non potest, dimidia pars decimæ debetur. Vid. pacta inter Regem Maximil. & Ordines ann. 1574. inita apud *Deuc. Corp. Jur. Metall. in fine p. 252. 258.* De aliis locis legi potest, *Dn. Eisenh. 2. 39.*

XX. Utrum in Potentissimi Electoris Saxonæ terris Magistrorum montium fodinas auri concedere possint, dubitatum esse novimus: quandoquidem quidam existimarunt, Serenissimos Electores hocce jus sibi solis reservasse. Sed *quia in art. 6. Ordin. Metall. Christiani I.* quæ adhuc, usque dum nova authenticam accipiat formam, utimur, in genere Magistro montium potestas data, *auf alle metalla Bergwerck zu verleihen*: reservatio autem ista probata non sit, nulli dubitamus, potestatem montium Magistri ad aurum quoque pertinere. Plane speramus fore, ut in nova, quam expectamus Ordinatione metallica, hæc disertè exprimantur.

XXI. Quale vero inter Dominum territorii, vel alium Regali jure metallifodinarum, sive titulo feudali sive allodiali gaudentem, & illos, qui ex concessione ejusdem exercent fodinas (*Gewercken*) intercedat negotium; qualeque jus concessionarii habeant, non adeo est expeditum. Ex *JCtis nostris* vix unus atque alter hanc tetigere quæstionem, cum de otiosis multis atque inutilibus rebus alias moleste sæpe sint solliciti. Cujus rei causam nullam aliam indicare possumus, quam quod natura hujus negotii plerisque parum cognita fuerit, & perspecta. Ex qua re etiam dubio procul acerrima illa inter *Dd. Saxonicos* disputatio, utrum partes metallicæ mobiles res sint, an immobiles? ortum coepit: quandoquidè illi, qui partium metallicarum indoles quæ sit, facile intelligunt, Domitianæ quæstioni haud absimile non posse non videri, sollicitum esse: an ad mobilia, an vero ad immobilia pertineant. Quam disputationem, quando animo volvimus, mirari subit, illorum, qui has partes ad mobilia referre non dubitarunt, ineptas & ridiculas ratiunculas tam altos radices in animis agere potuisse, ut illis evellendis opus fuerit *O-*
primi

optimi & rerum metallicarum studiosissimi ac peritissimi Principis
D. Augusti Saxoniae Electoris authentica decisione *Part. 3. Const. 25.*
Illas ipsas rationes cum confutaret, simulque adstrueret verio-
sententiam *Christoph. Zobelius p. 3. diff. 10. culturam argenti fodina-
rum habere, inquit, similem causam emphyteuseos, quia perforantur
& fodiuntur montes steriles propter meliorationem & lucrum argen-
ti, quod in iis reperitur.* Cujus sententiam probat *Nob. Dn. Ei-
senhardus*, celeberrimus in Academia Julia Jctus, cui quam pluri-
mum hanc Jurisprudentiae partem debere ultro fatemur, in saepius
laudato scripto *c. 6. §. 6. 7. 8.*

XXII. Ne quid dissimulemus, non inficiamur, varia nobis obor-
ta esse dubia circa hanc doctissimorum Virorum opinionem: arbi-
tratur tamen haud immerito in illa subsistendum esse, nec negoti-
orum excogitari posse ullum genus, ad quod nostrum majore jure
referendum. Enimvero alia videtur ratio esse fundorum emphy-
tevticorum, alia metallifodinarum: tum, quod in his τὸ ἐμϕυτεύ-
σις quod est inferere, implantare, haud reperiat locum; tum quod
metalla aut plane non, quam litem Physicis relinquimus, (De qua-
stione ista utrum metalla renascantur, *Vid. Agricola. lib. 2. de vet. &
nov. metall. c. 15. Id. de ortu & caus. sub. terran. lib. 5. c. 1. Webster. in
Metallograph. c. 3. & 4. Casius de Miner. c. 3. 4. Mathes. Sarept. Conc. 3*) aut
saltem non tam cito, multò minus quotannis, nec tam frequenter in
Germania renascantur, ac fructus agrorum fundorumve; atque ideo
fructus fodinarum, in Saxonia praesertim, pro non renascentibus habe-
antur. *p. 3. Const. 25.* tum etiam, quod ille, qui metalla caedit, vix meli-
orem facere videatur fodinam, sed deterio-rem potius, cum venis ex-
cisis vacuum relinquat locum, divitiis antea impletum. *L. f. ff. de
fund. dot. L. 7. §. 3. D. soluto matrim. Cujac. 15. obs. 21.* Verùm hæc tanti
non visa sunt, ut mutemus sententiam. Quod si enim ædificia, se-
men quibus nullum inseritur, nihil quibus implantatur, quique fru-
ctus naturales nullos producant, in emphytevsin dari, horumque
intuitu contractus] emphytevticus celebrari possit, ita sc. ut emphy-
tevta ceu dominus utilis iis plenissimè fruatur, facta tectaue ea ser-
vet, ampliora melioraque reddat, & in recognitionem domini dire-
cti quotannis canonem præstet; neque hoc impediatur, quod ædificia
C illa

illa aliquando usui, cui destinatae, ineptae effici possunt, vel plane tolli & dirui: id quod ex *L. 15. §. 26. D. de damno infecto. Authent. 51. quas ruinas. Cod. de SS. Eccles. sat bene affirmat Vinn. ad §. 3. Inst. de Loc. cond. n. 2. & latè Harprecht add. §. 3. n. 2. 140. Franzk. de Laudem. c. 9. n. 30. seq.* Cur non idem circa metallifodinas fieri possit? quae licet ulla humana opera ita meliores reddi nequeant, ut venae fiant nobiliores: sic tamen hominum cultu instrui possunt, ut quae in visceribus terrae latitant bona, ex tenebris in lucem prodire, emolumentumque maximum, licet non annum semper perpetuumque, queant praestare. Quo posito & ille, qui fodinam colit, meliorare utriusque dici potest. *argum. L. 13. §. 5. D. de usufr.*

XXIII. Quoniam verò emphytevta utile dominium tantum nanciscitur, directio apud dominum remanente, dubium nobis maxime visum fuit, utrum simile quid de hoc nostro negotio metallico dici queat? Sane si Ordinationes metallicas evolvas, nullum inveneris locum, quo disertè cultoribus fodinarum dominium tantum utile aliquod adscribatur; nec ullum quoque diligentissimus illorum scrutator Dn. Eisenhardus indicavit. Neque etiam ex praxi rerum metallicarum id discere licuit, quippe quae simplicitatem amat, & raro ad interiora illa artis juris penetrare solet. Porro nec inde pro divisione domini inter concedentem & concessionarium argumentum peti potest, quod vocabula *Lehn/ leihen/ verleihen/ Lehnhaft/ Lehnträger* / hoc in negotio adhibeantur: cum & illa iis de rebus usurpentur, ubi plenum dominium in alium transfertur. *Ex. II. Th. 3. 20.* Atque cum juxta vulgatam, & in his terris praesertim *Constit. 39. P. 2.* probatam sententiam in dubio dominium plenum translatum, & res potius censitica quam emphytevta habeatur, parum abfuit, quin negotium nostrum censiticum esse, non emphyteviticum crederemus.

XXIV. Sed quia tamen res hic gratis conceditur nullo pretio (nam exiguum illud, quod Magistro montium solvitur, *der Muth-Groschen* &c. *Bergk-Information p. 20.* honorarii vicem pro opera saltem subit) interveniente; sub hac lege, ut colant fodinam concessionarii melioremque faciant, & si secus fiat, desistantque ab opere, aut non impetrata legitime dilatione (*Frist-Berschreibung*) illud

illud intermittant, *B. Inform. p. 20. 67. Span. T. 3.* vel trimestrem recognitionem (*Quatember oder Recess-Geld*) non solvant, jus suum perdant, amittantve, idque ad illum, cujus Regale est, redeat, ita ut cuilibet petenti id iterum concedi queat: exinde satis colligi posse arbitramur, non omne dominium, sed particulam saltem, quam utile vocamus, fuisse translata. Atque cum ideo præsumptio illa, rem in dubio esse potius censuam, quam emphyteuticam recepta, ne ob non solutum canonem res amittatur; hic autem certum sit ob cessationem trimestris recognitionis, (qua ratione, mox dicemus,) excidere fodina concessionarios: regula illa commodè huc trahi nequit. Ut taceam de illis casibus, ubi sterilis fundus (*von rauher Wurzel*) concessus, pro emphyteusi etiam secundum allegatam constitutionem esse præsumendum. *Vid. Exerc. II. Tb. 24.*

XXV. Quemadmodum autem, ita negotio nostro cum emphyteutico ratione substantialium, vel ut alii loquuntur, essentialium optime convenit: ita quoad naturalia & similitudo & dissimilitudo quædam apparet. Nam uti recognitionis loco canon præstatur domino concedenti fundum emphyteuticum, ita & similis præstatio, uti jam ante dictum, exercitoribus fodinarum incumbit, quem vulgo *Quatember-Geld* sive *Recess-Geld* vocare solent. De qua præstatione legi possunt, quæ habentur in *Perill. Dn. à Schönberg. Inform. met. voce: Recess-Schreiber p. 119 seqq.* Hæc quidem recognitionis non annuatim præstatur, sed per singula trium mensium spatia, vel uti metallici loquuntur, quartaliter: ita tamen, ut si exercitores per annum canonem hunc solvere cessent, jus suum perdant plane; si vero semel, bis vel ter non satisfaciant obligationi, emenda 10. florenorum soluta servant *art. 24. O. Metall. Sax.* Quamvis localia jura quadantenus hoc intuitu variant. *vid. Dn. Eisenb. §. 5. & 6.* Qua in re negotium hoc nostrum ab emphyteusi quodammodo differre videtur. Sed & in eo notissimos emphyteuseos terminos egreditur, quod ultra istam præstationem & decimam vel vicesimam (prout id *Freibergæ* fit, quando proventus deductis impensis non supersunt, *wann die Zeche nicht in Aufbeute stehet*) vel aliam fructuum partem domino concedenti relinquere oporteat; ob cujus tamen omissam præstationem jus in fodina non amittitur. *Span T. X. §. 2.* Ut nihil dicamus

de eo onere, quod *der Schlege-Schlag* vocatur, & Exere. 8. Th. 35. à nobis fuit indicatum. Porro ab emphyteusi discrepat, quod mutatis possessoribus nullum hic laudemium præstetur, nec jus protimiseos concedenti competat, & quæ id generis alia sunt: quæ omnia, cum per pacta in emphyteutico negotio salva ejus substantia contingere possint, tantum efficere nequeunt, ut relinquamus sententiam antea assertam. Ubi obiter id notamus, erroneam fore sententiam illos, qui ex ferrifodinis non decimas in his terris præstari, sed alium cano- nem credunt: aliud enim tum *Ordin. Ferraria Pirnensis a. 4.* tum *praxis*, tum denique ea, quæ apud *Spanium T. 2. §. 2.* passim, pariter in *Perill. Schönbergii Informatione rei metallicæ p. 52.* leguntur, evin- cunt. Hoc tamen peculiare est, quod decima pars eorum, quæ effo- diuntur, in natura præstetur, es wird der Behend von Eisen-Stein gestürket. Plane si alicubi aliud placuerit: inde regula formari ne- quit. *Conf. Dn. Eisenb. c. 2. §. 42.*

XXVI. Latius ista deduci possent & majori cum cura: sed quia institutum nostrum id hoc loco non fert, atque jam nunc præter in- tentionem nimium indulgimus calamo, sistimus cursum acroamaticæ disquisitioni hoc argumentum alio tempore subjecturi. Fatemur nos in eo tractando potissimum statum rei metallicæ harum terrarum ante oculos habuisse: quia tamen & alibi fere idem est, & substan- tialia negotii nostri eodem modo se habent: aliis quoque locis ter- ritoriisve, dicta applicari possunt; nisi insignis differentia se prod- at. Quod si vero illa quæ hætenus à nobis asserta, alicui non sint ad pa- latum; qui negotium hoc Jure civili incognitum, peculiare plane & singulari nomine dignum fortè existimet, illi non adeo refragabi- mur. Non enim eam sectamur hæresin, quasi negotiis omnium Gentium Juris Justiniani doctrinam absoluta quadam necessitate o- porteat applicari. Si nullum piaculum est, Feudale negotium Ro- manis incognitum singulare plane dicere, nec ad aliquod civilium referre; non adeo improbari potest illorum conatus, qui de metal- lico idem sentiunt, cum aliam plane rationem Juris metallorum ho- dierni esse, ac jure Romano fuit, sæpius jam fuerit dictum. Plane illud certissimum, ad Feudale negotium concessionem fodinæ non posse referri. Etsi enim initium negotii contractus feudalis speciem
habere

habere videatur, atque nomina *der Muthung/ Verleihung/ Lehn/ Lehnshafft/ Lehnträger* &c. adhibeantur: ex his tamen nulla qualitas feudalis, prout jam supra Exerc. II. Th. 3. & 20. dictum, inferenda, cum & nulla fides Vasallatica, in qua essentia Feudi consistit, nullum Juramentum fidelitatis, nulla præstatio servitorum, nulla distinctio heredum &c. hic reperiat locum.

XXVII. Cæterum illud dubium, qua ratione Principes & Status Imperii, vel alii, qui per investituram Regale jus metallorum acquisivere, atque sic dominium utile fodinarum venarumve primum vel subalternum nacti sunt, eas in emphyteusin sine Domini Feudalis consensu dari possint: quandoquidem Jure Feudali id Vasallo non licere, si præsertim in perpetuum concedatur, notum. *II. F. 9. II. F. 99.* Sed quia tamen in omnibus Germaniæ Provinciis, ubi metalla reperiuntur, concessio illa sine Domini Feudalis speciali consensu quotidie fit, & per multa jam secula facta est, passimque Ordinationibus metallicis probatur; ab ista Juris Feudalis dispositione hodiè recessum esse, hoc intuitu intrepide dicendum esse arbitramur. Ut taceam, non deesse, qui Ordinibus Imperii, si de illis quæstio sit, partes quantitativas Feudorum Imperii absque consensu Cæsaris alienare posse tradunt. *Dn. Schilt. Exerc. 45. §. 68. Conf. B. J. p. 113. n. 4.* qua de re suo loco erimus solliciti. Quod si vero hæc facultas in literis investituræ expresse, vel tacitè, e. g. si jus decimarum datum, translata, res in vado est, & nulla laborat difficultate. Id extra dubium est, eum qui titulo feudali Regale jus metallifodinarum acquisitum habet, si ipse colat fodinas, jure domini utilis id facere, atque eodem omnia percipere emolumenta.

XXVIII. Qui Fodinæ concessionem petiit & impetravit, (*Muther und Lehnträger*) vel solus eam exercere potest, quo casu vocatur *Eigenthner art. 36. Bergf. Ordn.* vel alios in consortium adsciscit, & cum illis jus fodinæ communicat: quorum si pauciores sunt, tres vel quatuor, consortium vocatur *Lehnshafft* / si plures, *Gewerckshafft* secundum receptum metallicorum stylum. Prius genus in hic terris non adeo infrequens est: alibi tamen non semper toleratur. *Conf. Bergf. Inform. p. 80. 113. 115. Dn. Eisenb. c. 3. §. 11. c. 4. §. 9.* Inter hos contractus societatis, & vera rei communio, qua

quilibet partem habet pro indiviso, intercedit, estque inter illos tum impensarum præstatio, tum acquisitio lucri pro rata nempe partium, quas quilibet habet, communis. In quo tamen negotio illud peculiare est, quod is, qui stato temporeymbolam indictam non solvit, partem amittat, reliquisque illa accrescat, ita, ut nec egestas, nec minor ætas excusationem mereantur. *Heig. p. 13. qv. n. 50. Span. tit. 5. Bergf. Inf. p. 81.* Neque tamen libera plane, ut aliis Dominis sociisque fodinæ hic relinquatur administratio, sed talis esse debet, quæ legibus, moribusque est conformis. Quamquam non adeo consultum esse, ut cultorum fodinarum, qui spem pretio emunt, sæpe ista excidunt, boni publici tamen causa sumptus faciunt, nimium constringatur libertas, experientia cum damno publicæ rei sæpius sit testata. *Conf. Bergf. Infor. p. 15. n. 2. p. 80. n. 1. & 2.*

XXIX. Dominum fundi in venis, quæ in fundo existunt, nihil juris habere hodie, supra fuit dictum. Hinc impedire non potest, quo minus ipso invito vena aperiatur, exerceaturque fodina. Postquam vero in solatium portio hereditaria ipsi assignanda, jusque protimiseos ratione vecturarum competit: cogitare cepimus, quale negotium intercedat inter illum & cultores, quave actione, ut portio ista assignetur, utve ad vecturas pateat aditus, experiri possit. Neminus obtrudimus nostram sententiam: arbitramur tamen, negotium hocce ad illarum genus obligationum referendum esse, quæ ex factis extraordinariis, sive variis causarum figuris oriuntur; atque sic actionem dari in factum. Quale quid etiam inter dominum fundi & illum, qui in ejus fundo metalla olim quærebat, *juxta L. 3. C. de metall.* contigisse arbitramur. Plane si portio hereditaria domino fundi assignata (*wenn der Erb-Kux ihm angesaget und in dem Gegen Buche gewehret*) eodem jure quoad commoda, ac alii cultores, gaudet: licet oneribus sit exemptus, & sine fundo partem istam in alium non possit transferre. *C. Th. XIX.*

XXX. Quod Thesaurus sit? & quid circa illum Jure Justiniano obtineat *Dd. ad § 39. f. L. 31. §. 1. de R. Th. l. un. C. de Thesauris* abunde expediunt. Legi meretur Jacob. Godofredi docta commentatio in *Tit. Cod. Theod. de Thesauris*, ubi quam sæpe variatum fuerit in Latione de Jure Thesaurorum eleganter recenset. Theodoricus Gothorum Rex
thesau-

thesauros ad *Ærarium* referri iussit, ut *Cassiodorus VI. i.* autor est. Utrum *Fridericus Imus* in *Comitiis Roncaliensibus* eandem legem restituere voluerit, nec ne, in medio relinquimus: certum tamen est, in *Constit. II. F. 56.* nihil aliud, quàm quod in *Jure Justiniano* habetur, contineri. *Jure Saxonico* nihil peculiare de thesauris esse receptum ex illis, quæ *Thef. XIII.* dicta, patet. Quid *jus Svevicum* velit, ex locis eadem *Thefi XIII.* in dicatis, satis liquet. Hodie tamen extra *Saxoniã* thesauros *Fisco* communiter adscribi, notissimum est. *Conf. Dn. Ziegl. de J. M. 2. 20. Dn. Schilt. Exerc. 45. §. 25. seqq. Peregrin. de jure Fisci lib. 4. c. 2. Bitschius Tr. de Thesauris. Carpz. p. 2. C. 53. d. 6.* Cæterum illis in locis ubi *juris civilis* placita usu servantur, thesaurum in *Fundo feudali* repertum, non ad *Dominum directum*, sed ad *Vasallum*, & quidem pro re nata, totum vel dimidium pertinere arbitramur cum *Carpzov. d. l. def. 6. Struv. c. 12. Th. 5.*

XXXI. *Salinarum* aliæ apud *Romanos* erant publicæ. *L. 11. C. de Vectigal. l. 6. de Captiv. & post. L. 5. §. 8. de pænis* in quas *foeminae*, sicuti *viri* in *metalla*, vel *opus matallorum* damnabantur, *L. 8. §. 6. 7. ff. de pæn. L. 5. §. f. ff. de extra ordin. Cogn. Ziegl. 11. 19. 8.* aliæ *privatæ*. *L. 32. §. 3. de usu & usufr. leg. L. 4. §. 7. de Cens. L. 5. pr. de rebus eorum qui sub tutela.* Ex quibus tamen aliquando *vectigal exactum* fuisse docet *Sixtin. de Reg. L. 2. c. 19. §. 4.* *Publicæ salinæ* certis *personis* locatæ fuere, sine quibus si *sal emebatur & vendebetur*, cadebat in *commissum*, & his *mancipibus* addicebatur cum *pretio*. *L. 11. C. de Vectius.* *Mancipes* autem ideo dicebantur, quia *sublata manu* demonstrabant se esse *autores emtionis*. *Cujac. ad d. L. & L. 3. Th. 31. Conf. Gvidius de Mineral. L. 11. T. 8.* Hodie eadem *ratione*, ac *metalla* ad *Regalia* referuntur. *II. F. 56.* Etsi vero hæc *constitutio* tantum de *reditibus salinarum* loquitur: *usus* tamen, qui *optimus legum interpret* est, satis ostendit, *iplas salinas* illuc pertinere eodem modo, quo *supra* de *metalli fodinis* diximus. *Plane A. B. a. 9.* non *reditum tm.* sed *iplas salinas* eò refert. *Olim Imperatores Romano-Germanicos* etiam *salinas* vindicasse sibi certum est; *concessa* tamen *postea aliis* fuere: quæ *lequid ab Ottone I. factum*, qui *Hallenses Archiepiscopos Magdeburgensi* contulit: à quo *postea* ad *alios* *titulo allodiali*, potissimum tamen *feudali* pervenere, *reservata* tamen *parte mensæ Episcopali*. De qua-

re

re legiutique meretur, *Heig. p. 1. qv. 14. & Excellent. Dn. Hobendorff. de Salin. Hallens. Sixt. d. l. II. 17.*

XXXII. De Jure collectandi tum ex principiis Prudentiæ civilis, tum Juris Romani, solidè & eleganter pro more agit B. D. Ziegl. *de Jur. Majest. L. II. c. 1. seqq.* Ad summam Majestatem pertinere, ut cum pecunia sit nervus rerum gerendarum, necessitate & utilitate publicæ rei exigente, tributa indicat, modo tamen & ratione per leges fundamentales in civitate recepta, certissimum est: cui oneri cives aut subditi sese subtrahere nec debent, nec possunt; cum finem societatis civilis, publicam salutem obtinere aliter nequeant. In Imperio Romano Germanico jus hoc imponendi collectas universales ad Imperatorem & omnes Ordines simul spectat. *S. gaudeant. art. 8. Instr. Pacis Osnabr. Capit. Leopold. 17. & Joseph. 16.* quamvis etiam circulares collectæ ex consensu Statuum Circularium à Ducibus Circulorum interdum inponantur. In Tractatibus Pacis Westphaliæ, Comitiiis Anni XIII. hujus Seculi habitis, & aliis sæpius acriter disputatum fuit: utrum in materia collectarum imponendarum pluralitas votorum vincat, nec ne? nec tamen unquam controversia potuit componi, hincque ad proxima Comitii futura projecta est in J. P. O. a. 8. Neque vero etiam in istis finis disputationi est impositus. Quid hac de re actum, legi potest *ap. Limn. Tom. 5. lib. 9. c. 182. Grund-Beste p. 3. c. 7. S. 2. Itter de F. Imp. c. 21. §. 14.* Præsentibus in Comitiiis sæpius in scenam interum est producta, sed exitum adhuc expectamus. Quid in thesi citra respectum ad Imperium, hac de re, dicendum? explicat accurate *Ziegl. d. l.* Modos collectandi in Imperio quinam sint, docet *Itter de Feud. Imp. c. 21. tb. 8.* Duos communiter numerant juris publici Doctores, unum secundum denarium communem vel æs & libram, nach den gemeinen Pfennig/alterum secundum expeditionis Romanæ æstimationem, nach den Römer Zug: quibus addunt tertium conventionis placidæ cum Statibus der guthigen Tractaten mit denen Ständen/ *Maurit. Dissert. de Matric. §. 27. D. Kulpis. ad Monzamb. p. 2. c. 5. §. 7.*

XXXIII. Erat sœvetum olim Imperatoribus, ut quoties Romam ad suscipiendam solenni ritu consecrationeque coronam proficiscerentur, militari apparatu ac pompa irent instructi. Ob quam causam

nam Principes alique Vasalli immediati mediatique, si beneficia amittere nollent, Imperatorem sequi tenebantur. De qua re notabilis locus est apud Otton. Frisingensem *L. 2. de R. G. Friderici c. 12.* qui ipse indicat, rem hanc, quæ expeditio Romana & felicissima Regalis numinis expeditio passim vocatur, valdè esse antiquam, & jam Francicis Imperatoribus usitatam: quamvis de origine nihil certi dici possit, postquam Constitutio Caroli Crassi, à Viris doctis argumentis non levibus dubia est facta. De qua re supra Ex. II. §. 1. jam fuit dictum. Fridericus I. Constitutiones de hac re peculiare edidit, quæ extant *II. F. 55.* & apud *Radevicum L. II. c. 7. de R. G. F. Conf. Jus Feudi Svecicum c. 8. n. 5. & 3. F. Sax. a. 6.* Quid verò per collationem illam extraordinariam ad expeditionem Regalis Numinis felicissimam. *II. F. 56.* intelligatur, varie disputant Dd. Nos illorum probamus opinionem, qui superindictum quoddam extraordinarium ob necessitatem publicam esse volunt. *Sixt. de Regal. L. 2. c. 14. n. 6.* Cum Carolo V. expeditio illa Romana desit, coepit tamen sub eo modus computandi, quæ in Collectis Imperialibus hodiernum in usu esse solet, secundum expeditionem Romanam (Nömerzug) in Comit. 1521. vid. §. 29. d. R. I. De qua re utique legi merentur, quæ habet *D. Mauricius Dissert. de Mauric. Tb. 46. & D. Obrecht, de Expedit. Romana §. 21. Wehn. voce. Nömerzug.*

XXXIV. Ordinibus Imperii jus exigendi Collectas provinciales, Landsteuern/ in territoriis suis competere notissimum est. Sicuti autem forma regendi territoria non in omnibus æqualis est, nec in illis ipsis, ubi species quædam Monarchiæ existit, sed limitata interdum & modo strictior, modo laxior habetur: ita & in hoc negotio id usu venire solet. Plerumque extra casus in Legibus Imperii comprehensos. *R. I. 1567. §. 23. R. 1654. §. 14. 180. Capit. Leop. & Joseph. art. 3.* consensu subditorum, vel, qui eos repræsentant, Ordinum Provincialium requiritur: atque adeo collectæ, uti *Mylerus ab Ehrenb.* loquitur, non tam imperantur, quam impetrantur à subditis; quinimo interdum à Principe reversales literæ Ordinibus dantur, quibus, ne in consequentiam res trahatur, cavetur. Quæ omnia, quoniam quàm maxime variant, regulis universalibus comprehendi non possunt: solo hoc axiomate nobis relicto, quod jus collectandi non aliter Ordinibus Imperii competat, quam prout leges Imperii, consuetudines, & pacta cum

D

sub-

subditis id admittunt. Etsi autem in quibusdam territoriis Principes & Domini hac in re non absolutam habent potestatem, nec sine Ordinum suffragiis collectas imponere possunt: non tamen ideo in iisdem Provinciis ararium tributorum Ordines sibi solis vindicare, multò minus soli inscio Domino regulariter collectas indicere possunt. *Cap. Leop. art. 3. verb. wir wollen nicht zugeben/ daß die Landes Stände & Cap. Joseph. art. 3.* Sicuti è contrario illis in Provinciis ararium solius Principis esse, neutiquam dicendum, cum nec jus collectandi ad illum solum pertineat, nec ea, quæ in *L. 3. C. de quadrienn. prescript.* habentur, ad modernum istorum territoriorum statum commodè applicari possint. *Conf. Myl. ab Ebreub. de J. St. J. c. 3. §. 29. seqq. & c. 4. R. I. de 1654. §. 14. & 180. Itter c. 21. inf.*

XXXV. Quemadmodum jus collectandi effectus est Superioritatis, ita solutio collectarum signum est subjectionis: *Myl. ab Ebreub. p. 2. c. 62. n. 2. Boc. de Collect. c. 1. n. 20. Kloek. de contrib. c. 3. n. 16. Gail. l. O. 21.* Quod vero ad Magistratus municipales, vel inferiores attinet, illos non nisi in casu summæ necessitatis collectas exigere posse, certum est: vel nisi id à Superiore tacitè vel expresse ipsis est concessum. Jus tamen sub collectandi, vel exigendi tributa ipsis plerumque est relictum. *Ziegl. 2. i. 18.*

XXXVI. Jus venandi adempta naturali illa, & Jure Civili probata libertate ad Regalia pertinere hodiè certum est: atque adeo nemo, ne in suo fundo venari potest, nisi in quantum id libertati relictum, vel ab illo, qui Regalia habet, iterum concessum. *Carpz. p. 3. c. 32. d. 17. Pr. Crim. q. 84. D. Ziegl. L. II. c. 14. de Jure Majest. Rosenth. c. 44. n. 6.* Cum itaque aliquando quæreretur, an Nobilis in Ducatu N. cui circa venationem superiorem quæstio à Principe moveretur, pendente lite in possessione manutenendus sit? negativè respondit Collegium Wittenbergense Mense Jan. 1691. ideo, quia resistantiam Juris communis hodierni contra se habebat. *arg. Capit. 7. de Privilegiis in sexto. Menoch. de retinenda Possessione, remedio ultimo, n. 24. & 27. Covarruv. Pract. Resolut. L. 1. c. 17. num. 8.*

XXXVII. Etsi autem Venatio ad Regalia refertur: nihil obstat tamen, quo minus etiam suo modo jure servitutis competere possit, e.g. si Princeps in Principis vicini territorio jus venandi præscriptione, vel alio modo habeat acquisitum; vel si Nobilis jure venandi gaudens
exerc

exercitium juris huic vicino prædio relinquat. *Pult. l. F. 5. Ro-*
sentb. c. 94. n. 6.

XXXVIII. Si quis cum jure venandi investitus, in dubio sal-
tem jus capiendi feras minores die Nieder Jagten/ & quidem
tantum per canes & retia, non verò bombardis & sclopetis (mit
pürschen und schießen) concessa censetur, secundum usum & ob-
servantiam. *Wehn. observat. practic. voce Forst Recht Carpz. decis.*
287. Analogiæ tamen juris magis conveniens est, si dicamus jure
venandi in genere & absolutè concessio omnem venationis speciem
datam esse. *Heig. p. 1. qu. 15. n. 61. Carpz. p. 3. const. 32, def. 16. n. 6.*
Conf. D. Rhet. l. Feud. 2. n. 147. Cæterum quomodo Bannum fe-
rum, Jus Foresti, & forestalis Jurisdictio differant. vid. ap. *D. Lynck.*
ad *D. Struv. S. I. F. 6. apb. 28. n. 1. Wehn. voce Forst Recht. Mingium*
de Super. terr. c. 6. Th. 7. 8. Meurer Jagd und Forst Recht. p. 5.

XXXIX. In numerum Regalium *II. F. 56.* referuntur Palatia
in civitatibus consuetis. Hottomannus probatam ab omnibus lecti-
onem mutat, atque *placia*, vel *placita* legendum esse censet, quorum
ultima judicia, vel loca saltem judiciorum in Capitularibus Franci-
cis significant. *Lehmann. lib. 2. c. 71. 31.* Nos arbitramur à constan-
ti omnium Codicum lectione recedendum non esse, existimamusq;
ad suggestionem Juris Civilis peritorum, qui Comitibus Roncalien-
sibus interfuere, hæc de Palatiis inserta fuisse verba constitutioni;
quibus imitari sine dubio voluit Fridericus I. veteres Roman. Im-
peratores Palatiis suis, quæ intra vel extra Urbem habebant, singu-
larem vindicantibus honorem & venerationem. Quam rem lati-
us exponunt illi, qui *ad tit. C. de Palatiis* commentati sunt: ex qui-
bus *Magnif. Dn. Fritschium* nominasse sufficiat, cui *Leuberi celebre*
scriptum adversus Magdeburgenses n. 630. jungi potest. Francicos
& Germanicos Imperatores variis in locis, tum in Oppidis, tum in
Villis Regiis habuisse Palatia, quæ & Curia, atque Palentia, *Wals-*
gen, dicebantur, ex historia notissimum est. A quibus Comitum Pa-
latinorum nomen ortum traxit. Hi Comites Palatini primùm
Imperatorem sequebantur, atque in Curia, ubi ipse præsens erat, jus
dicebant: successu vero temporis & absente Cæsare in Palentiis ex-
erceban

ercebant Jurisdictionem. In Saxonia V. fuisse Palentias *lib. 3. art. 62.* Landrecht traditur, quem locum eleganter explicat *Meibomius de Irminsula c. 13.* Sed & Magdeburgi Palentiam fuisse tum ex *art. 12. Weichbildi*, tum ex aliis monumentis constat. Cave tamen, putes, tot in Saxonia Comites Palatinos fuisse, quot illa habuerit Palatia; aut dignitatem officiumque Comitis Palatini ita innexam fuisse Palentia; ut cum hac in quemlibet ejus transfret possessorem. Qualem errorem late confutat *Leuber. loc. all.* Sub Henrico III. quem Nigrum vocant Palatinatus Saxoniae ad Familiam Gozecensem, cum antea nulli hereditarius esset, pervenit, ex quo Dedo primus ad hoc fastigium ascendit. Hunc filio legitimo destitutum frater Fridericus II. secutus est: cujus progenie mascula extincta ad cognatum Fridericum Somerschenburgium Palatinatus beneficio Henrici IV. transit: in cujus stirpe mansit usque ad Albertum Familiae hujus ultimum. Quo fati functo Henricus Leo titulo Palatini Saxoniae usus est: qua in re tamen procul dubio Imperatoris defuit consensus. Proscripto illo, abjudicatoque Ducatu Palatinatuq; Saxoniae, Fridericus I. Landgravios Thuringiae dignitate illa Palatina ornavit: licet incertum sit, cum scriptores Annalium hac parte sibi non consentent, utrum ex fratribus Ludovicus Ferreus, an Hermannus illam primum sit adeptus. Caeso à Friderico II. Imperatore Henrico Raspone Anticæsare & ultimo Familiae suae Landgravio, Palatinatus Saxoniae ad Henricum, Marchionem Misniae pervenit; cui cum Landgraviatu Thuringiae, vivente & expetente avunculo Henrico Raspone à Friderico II. lege beneficiaria erat concessus. Id quod testatur Diploma Investiturae 1242. Beneventi datum. Verum postquam Rudolphus Habsburgius Alberti II. Ascanii suffragio Imperator renunciatus, Henrico illustri mortuo, Palatinatus à Rudolpho I. in Generum, quem modo indicavimus Albertum II. Saxoniae Ducem collatus est, & tum in A. B. a. v. tum M CCC LXXVI. peculiari Bulla, quam Freherus ad cap. 7. A. B. & Goldast. inter Constit. Imperiales exhibet, Ascaniae familiae est confirmatus. Sicut autem Ascanii non semper usi sunt titulo Palatini Comitis;

tis;

tis; ita hunc Misniæ Marchiones retinere usque ad Friderici Bellicosi tempora, juris tuendi gratia, quod ad se pertinere affirmabant. Denique ab Imperatore Sigismundo in Fridericum Bellicosum Misniæ Marchionem cum Ducatu & Electoratu Palatinatus Saxoniae, nec non Arx & Oppidum Alstedum, ubi frequentissimè Palatini olim jus dicebant, translatus est. Etsi autem dignitas hæc alioquin ab Electoratu & Ducatu Saxoniae separatas rationes habuit, ita, ut ab eo abesse potuerit, & revera abfuerit aliquandò: vi tamen A. Bullæ, & Investituræ Sigismundi quæ apud *Albinum tit. 16.* extat, cum dignitate Electorali ita coaluit, ut ab ea nunquam separari queat, unique soli Potentissimo Electori Saxoniae propria sit facta. Quam causam esse arbitramur, cur à Friderici Bellicosi tempore Serenissimi Electores Saxoniae titulo Palatinorum Comitum Saxoniae uti supervacuum crediderunt: ex quò si quis renunciationem jurium amplissimorum, quæ ratione Palatinatus ad Electores Saxoniae pertinent, inferre vellet, næ ille valde esset absurdus. Dignitas Electoralis cum seculo superiori à linea Ernestina transfret in Albertinam, Palatinatum Saxoniae eadem quoque fata oportuit experiri: quem simul cum aliis Carolus V. in Mauritium solenni ritu transtulit novum Electorem. Alstedum quoque ad hunc simul pervenit; sed rediit mox ad Johannem Fridericum ejusque posteros, (ex quibus Isenacensis Domus illud hodiernum possidet) vi Numburgensis Transactionis 24. Febr. 1574. initæ; *Hortleder Tom. II. c. 87. 88.* Sed Alstedum solum rediit, non Palatinatus ipse: quem ab Electoratu separari non posse, antea fuit assertum. Ex qua re patet, imbecille, esse argumentum, quod à possessione Alstedi ad jus Palatinatus, Saxoniae aliquando petitum fuit, & eò magis quod & Alstedum, ab Imperatoribus licet Palatinis Saxoniae Comitibus datum, aliquando, nec olim tamen semper ab iisdem Comitibus Palatinis esse possessum constet: quandoquidem Burchardum VIII. Dynastam Querfurthi, ejusque filios senescente seculo XIII. Alstedi Dominos fuisse *Spangenbergius in Chron. Querfurt. lib. 3. c. 16.* observavit. Plura de hoc argumento legi possunt, tum in *Annalibus*
Go-

7403
Gozecensibus, Lauterbergensibus &c. tum ap. Fabricium lib. 1. Origin. Sax. p. 81. Albinum tit. 15. 16. Conring. de Judiciis Germania tb. 90. & Celeberrimum nostrum Scharzfließium in notis ad vitam Alberti III.

XL. Regalibus in Feudum concessis in dubio minora tantum concessa intelliguntur, uti Dd. comm. volunt. Rosentb. c. 5. c. 13. n. 11. Quod si ab Imperatore tamen integrum territorium Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Baronis, quatenus ex diversis terris, castris, civitatibus, Regalibus in unum corpus coaugmentantur, datur, usu J. P. omnia etiam majora data censentur, nisi quatenus exceptio vel ex L. publicis l. ex investitura, vel aliunde doceri possit. Quæ assertio eò magis vera, si clausula *cum omnibus Regalibus* adiecta; aut alia verba adhibita sint, quæ complexum Regalium inferunt. Conf. Iter. c. 8. § 3. 4. 7. Principis beneficia latissimè quidem sunt explicanda L. 3. ff. de Const. Princ. non tamen latius, quam natura rei, & ratio id admittit. Hinc concessio unius vel alterius ad similia extendenda non est: atque addita clausula: *cum omnibus aliis*, ea tantum, quæ eum nominatis Regalibus ejusdem qualitatis sunt, intelliguntur. Bocerus de Regalib. c. 4. n. 8. Franzk. tit. de Legibus n. 63. & 68. Rosentb. c. 5. c. 13. Meichsner. L. 11. T. 2. dec. 4. 124.

XLI. Quod Justinianus alicubi effatus est, naturam semper novas deproperare, edere formas, illud sanè de Patronis Fiscī non immerito sæpe dici potest. Multi enim horum haud bene partibus suis defungi posse credunt, nisi calumniis eorum Provinciæ divexentur; atque ipsi novos quotidie excogitent modos, quibus omnia, quæ subditorum sunt, ad Fiscum trahant. Sæpius proinde fit, ut ad Regalia ea referri videris, quæ tamen nec Lex, nec mores illuc referri patiuntur. Ad hunc censum pertinet Vespasiani vectigal urinarium, illaque improba consuetudo, quo bona naufragorum, vel res furto ablata ad Fiscum rapiabantur, damnata jam olim à Friderico & Carolo V. landatissimis Imperatoribus. Tentatum aliquando fuit jus excoriandi (die Cavillerey Gerechtigkeit) ad Regalia trahere: quam illuc non pertinere VVittebergense Jctorum Collegium respondit ap. Dn. Ziegl. de J. M. lib. 1. c. 3. tb. 19. Pari ratione in Lusitania disquisitum fuisse, utrum jus saponem conficiendi ad Regalia pertineat? recenset Gammann lib. 1. dec. 31. Conf. Dn. Ziegl. d. t. § 23. Dn. Bruckner, de Doct. man. Regni Germ. c. 6. n. 14.

Wittenberg, Diss., 1693

ULB Halle
003 586 286 3



L

Sb.

1017







B.I.G.

Farbkarte #13

B. V.

45
16

JURIS FEUDALIS
ratio Nona
DE

1693 51

ALI-

S II.

uam

ESIDE

IRICO HORNIO,

P.P. atq; Collegiorum

hic sunt, Adfessore,

M DC. XCIII.

io *FCtorum*

defendet

SMUNDUS ALBERT,

rg. Misn.

relo Goderitschiano.